



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Barsanuphio monacho. Cap. XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

in eum impetum facerent, occidereque in animo haberent, quoniam poena ex legibus constituta eos multavit, in crucem actus est, hocque supplicio pro recta conscientia & legum obseruatione affectus. Inde factum est, ut qui alterius erant factionis, cum à domicilijs suis fugissent, & à nemine vsquam exciperentur hospitio, sed velut scelera vbique exagitarentur, tendere insidias viatoribus, complere, caedes facere coeperunt, vsque eo vti omnia loca nece immatura, direptione, & reliquis id genus maleficijs redundarent. Interdum animo in contrariam sententiam mutato, eius generis homines interfecit, legumque permisit potestati etiam eos, quos antè passus fuisset more Barbarorum in ciuitatibus impia scelera consciscere. Sed ad ista sigillatim persequenda, mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicendi. Atque ea, quæ diximus, satis esse poterunt ad coniecturam de reliquis eius facinoribus faciendam.

De Barsanuphio monacho Cap. XXXII.

Vixere per idem tempus viri plane diuini, qui multis in locis magna edebant miracula, & quorum gloria vbique peruagata fuit. Ex quorum numero erat Barsanuphios, genere Aegyptius. Ille vixit in monasterio prope urbem Gazam, & in carne vitam carni aduersariam dedit, adeo ut multa memorabilia ederet miracula. Creditur porro eum in aedícula quadam conclusum ætatem egisse, atque à tempore, quo in eam ingressus est, ad spatium quin quaginta annorum & amplius neq; à quoquam visum esse, neque quicquam alimenti vel aliarum rerum in terra cepisse. Quibus rebus cum Eustochius episcopus Hierosolymorum, minime fidem adhiberet, cumque aedículam, in qua vir ille diuinitus conclusus fuit, perfodere constituisset, parum aberat, quin ignis ex ea erumpens omnes, qui cum eo illuc venerant, combulsisset.

*De Symeone monacho, qui propter Christum semorionem esse simulauit.
Caput XXXIII.*

Fuit Eme-